Nam fratres domus Theotunicorum simul et semel una die fuerunt inter
fecti cum suis complicibus Insimul itaque bellis inter se habitis
et pluribus milibus ex utraque parte interfectis quadragesima die
obsidionis Acon per eius inhabitatorum expugnantibus eius consumma
cione adveniente Anno domini millesimo ccxcj xvj mensis
may capta est nobilissima et gloriosissima civitas Acon flos
caput et decor omnium civitatum orientalium quod audientes civi
tates cum habitantes in civitatibus circumiacentibus ut Iaphe Tyri
Sydonis etc relictis omnibus fugierunt in egiptum
Cum sarraceni primo Acon reperiunt per foramen muri iuxta castrum
regis Sicilie intraverunt et cum iam essent in civitate Acon ad
fuit una pars alia defendere noluit sed quilibet se de suo castro
se defendebat Et multo penius sarraceni habuerunt expug
nare civitatem ab intra quam ab extra quia mirabiliter
intus erat munita sed contra civitatem cum sarracenis per eius
incolarum expugnantibus pugnabant omnia elementa Nam aer ita ob
scurus et nebulosus fiebat quod cum unum castrum platea seu pal
lacium expugnaretur non poterat videri in aliis prope castris
vel plateis quousque etiam eorum castrum expugnaretur et tunc primo
libenter se concorditer defendissent si insimul venire potuissent
Ignis contra civitatem pugnabat quia ipsam consumebat Ter
ra eius sanguinem absorbuit Etiam licet fuisset in maio cum mare
solet esse tranquillissimum et incole apte vidissent se civitatem amisisse
se ad mare fugierunt per obscuritatem aeris inimicos suos videre
non valentes ut in Cyprum navigarent tanta tempestas per eius eorum
expugnantibus subito est exorta in mari quod nec aliqua navigia litto
ri poterant appropinquare plurimi etiam volentes natare ad
navigia submergebantur plus tamen quam centum mille ho
mines in Cyprum evaserunt Contigit instante captione civita
tis quod plus quam quingente nobilissime domine et puelle filie et uxores
Regum et principum litus maris portantes omnia sua cleno
dia aurea et preciosissimorum lapidum in sinu earum inestimabilis
precii advenerunt implorantes nautas ut reciperet omnia earum cle
nodia cum una earum pro uxore quamcumque vellet et deduceret

De bellis sarracenorum cum civibus in civitate

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_924/0402
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG